Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1221
Quelle:
Copyright:

&c. Liber II. agit *de vnitate diuine nature*. III. *de Trinitate personarum in communi et de pertinentibus ad ipsam*. IV. *de Deo patre secundum appropriatam sibi rationem primi principij*. Libro V. agi de Persona Jesu Christi, et VI. de Peccatis et Virtutibus ex *O. P. Scriptorib. T. I.* p. 357. intelligo. Libri hi mole inter se inaequales in *Tractatus*, hi vero in *Capita* abeunt. Opus integrum neque ipsis Bibliothecae mox citatae conditoribus videre contigit, ut testatur *ibid. Echardus*, qui dum *Scriptores* suos ederet, nondum responsum acceperat ex Abbatia *Corsendoncana* Can. Reg. in *Belgio*, ubi *Summae* nostrae pariter Exemplar extat. Extat vero etiam in *Vaticana*, et quidem signate *Libris* VI. teste *Montefauconio* in *Bibl. Bibl. Mss.* T. I. p. 101. Nostrum deficit in *L. IV. Tract. 3. c. 8. de Divinatione* hisce verbis: *cuius hec sunt uerba in fine celestis yerarchie*. habet tamen adjectum *Indicem* alphabeticum, ex cujus folius inscriptione nomen *Ulrici de Argentina* innotescit.

CCCXII.

209 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. nunc 165. f. partim per columnas, partim lineis longis exaratus, et rubricis distinctus sequentia complectitur Opuscula: I. *Hugonis de Novo Castro Victoriam Christi contra Antichristum*. Constat *Capp.* XXXVI. quorum *primum* usque ad ea verba: *posset fallere mundum* &c. e *Cod.* deperiit; incipit vero, *Waddingo* teste: *Non sum Propheta, nec Filius Prophetæ*. Ultima sunt: *Doctoribus tamen relinquo determinandum si sint credenda*. Post quae nobis haec Rubrica subjicitur: *Finis huius tractatus de victoria christi contra Antichristum qui magistri Hugonis Parisiens. theologie et decretorum doctor intytulatur et per eundem Hugonem editus sub anno domini. 139. Scriptus est hic liber per me fratrem Michaelem. 1471. argn.* (Argentinae) *et finitus potenciane virg. eiusdem anni*. Eodem quoque anno, sed sine loci mentione, typis lucem vidit, ut Exemplar Bibl. Caes. docet, et testantur *Loescherus*, et *Leichius* apud *Maitt.* et *J. Dom. Mansius* in edit. *Bibl. Fabric. med. et inf. Lat.* L. VIII. p. 290. qui tamen ex adjecto *Parisiensis* non recte infert, autorem *Anglum* non fuisse, qualem *Balaeus*, *Pitseus*, *Tannerus*, *Waddingus* faciunt, qui postremus in *Scriptt. O. M.* p. 179. natum in *Castro novo* (New-Castle) dioec. *Dunelmensis*, mortuum vero et sepultum in Conventu Ordinis *Parisino* tradit. Annus, quem librarius adsignavit, fortasse 1 (3) 39. vel 1 (30) 9. est. Anno enim 1322. *Hugo* noster Capitulo generali *Perusino* interfuit, ut apud *Waddingum cit.* habes.

II. *fol.* 31. rubro: *Eloquentissimi leonardi* (Bruni) *Aretini Ad illustrem dominam baptistam de malatestis pisauri &c. quam ad lectitandos eciam Gentiles non sine*